

men obrutum periit. Statim verò propagata est, & nomine Nicenæ synodi commendata. Id factum fraude Vrsatij, qui Ariminensem confessionem oblatam principi subdolè confirmavit, convocata raptim synodo Niceam non Bithyniæ, sed Thraciæ urbem. Vnde suum symbolum vafre postea Nicenum appellarunt, cum Niceum potius nominandum esset. Sozomen. lib. 4. cap. 19. Plures enim fuerunt Nicenæ ciuitates, è quibus vna est in Thracia, quemadmodum docet Suidas.

2 *Similis essentia.*) Hæ fuerunt hypotheses.

1 Christum esse Dei Patris creaturam, non tamen ex eo natum ad morè cæterorum qui filij nascuntur & procreantur ex patribus, quia in gignendo hoc Filio nullum laborem Deus Pater sensit, quem tamen alij patres & matres in liberis suis procreandis ferunt. Impium certè dogma, & plenum blasphemix, & fabularis historiæ, & illi simile quod de Minerua ex Iouis cerebro nata dicitur à poetis. 2 Christum non esse *αὐθεντικὸς* Deum, sed *βελήσει* tantum, & *ἐνεργεία*, id est, voluntate & operatione, non autem essentia. At nihil vel voluntatem, vel operationem Dei habet, nisi sit hoc ipsum Deus. Præterea Christus ait, Qui me videt, videt & Patrem, Ioann. 14. versu 9. Quod de nullo alio vel homine, vel Angelo dici potest. 3 Spiritum sanctum Filij creaturam esse, non esse autem Deum. Hæc est Macedonianorum stirps, quæ postea pullulat.

C. A. P. LII.

Macedoniani cur sic dicti. Erroris autem eorum caput vnum recensetur.